



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.17. Alcuini virtutes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.

A. C. 800.

riam Deo, & veram fidem confessus cum Discipulis suis præsentibus ad unitatem Catholicam rediit. Suadeo tibi, venerabilis Pater mi! ut cum Discipulis tui humilitatis ejus exemplum sequaris.

§. XVII.

Alcuini Virtutes.

ep. 13.

Alcuinus Regi Carolo ad profectiorem Italicam cum ipso suscipiendam se invitanti non est obsecutus, nec movebatur joco, cum Rex diceret, quod tecta urbis Turonensis fuliginosa aureis Romæ Palatiis præferret. *Hic fruimur pace, inquiebat, quam nobis dedisti, & Romæ Fratrum discordia olim fundata tantum hodieque malum in suis visceribus fovet, teque compellit, ut relictis jucundissimis Germaniæ sedibus abeas, illiusque furores compescas.* Sæpius ita Regem rogabat, ut se solitudine, quam semper amaverat, frui sineret, & tandem senectutem & corporis infirmitatem obtendens, nunquam amplius Turone pedem extulit.

Ep. 17. 19.

23. &c.

Sup. Lib.

XLIV. §. 54.

vit. c. 6. Mab.

Elog. c. 7.

8. &c.

Ut Rex Alcuinum in Francia retineret, duas eidem Abbatias, paulo postquam secundo illuc venisset, dederat, nempe Ferrariensem in Diœcesi Senonensi, & S. Lupi Trecensis. Contulit ei etiam postmodum Cellam maritimam S. Judoci, & tandem anno 796. defun-

cto Itherio celeberrimam Abbatiam S. Martini Turonensis. Alcuinus in hanc Domum Regulæ observantiam reduxit, cum prius Monachorum vita partim Monachos, partim Canonicos Cathedralis deceret. Monasterium Cormerienne ab Antecessore suo fundari cœptum ipse perfecit, illoque Monachos viginti immisit. Istud Monasterium hodieque Abbatia S. Martini Turonensis subest, & sub se habet Prioratum Pontis Sequanæ in Diœcesi Trecenti, qui Hospitio ab Alcuino fundato originem suam debet.

De Monasteriorum istorum Reditibus ipse libere decernebat, & quia ex fundis maximus colonorum numerus alebatur, Elipandus Toletanus Alcuino exprobrabat, quod Monachus viginti milia Servorum haberet. Ille sapius apud amicos querebatur, quod tantis divitiis oneraretur, & tandem impetrata licentia Abbatiam S. Martini Fridugiso & Ferrariensem Sigulfo Discipulis suis regendam tradidit. Scientiarum & orationis studio totus addictus, legebat, componebat libros, docebat. Singulis diebus Missam celebrabat, & quidem quolibet in Hebdomada die aliam. Id ita accipiendum; quod Missæ adesset, aut tanquam Diaconus ministraret, constat enim, ipsum ad altiorem in Ecclesia ordinem non fuisse evectum. Donum Prophetiæ

*Præsi. ad
Elip. Ep. 37.*

Sæcul. VIII.
A. C. 800.

phetiæ & miraculorum eidem tribuitur. Ceterum in ejus Epistolis magnus Religionis zelus, tenerrimus in amicos affectus, & singularis, qua alterius censura scripta sua subjiciebat, modestia dispicitur.

§. XVIII.

Scholæ in Francia.

Ep. 10.

*Egin. vit.
Car.*

Alcuinus Litterarum in Francia Restitutor, vel saltem præcipuum, quo Rex Carolus ad insigne Opus usus est, Instrumentum habetur. Dicit ad Regem scribens, nihil magis ambobus in votis fuisse, quam ut in Francia novæ Athenæ Christianæ exurgerent, & ex ejus Operibus apparet, quod ad revehenda ferme omnia studiorum genera operam dederit. Primo docuit in Regia, & ipse Rex honori sibi ducebat, Discipulum ejus esse, cumque ipsi scriberet, Magistrum & Præceptorem appellabat. Ab eo didicit Rhetoricam, Dialecticam, & inprimis Astronomiam, cui plurimum temporis & laboris impendit. Aliquæ extant litteræ, in quibus Alcuinus ad quæstiones Caroli de cursu Lunæ scilicet tantis respondet. Erat vero Carolus eloquens, facile, quæ volebat, enunciabat, & linguas peregrinas didicerat, pariter linguæ latinæ ac Teutonicæ, quæ ipsi patria erat, gnarus. Græcam satis capiebat,